



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**De Vita & Rebus gestis P. Petri Canisii, De Societate Jesv,
Commentarii**

Sacchini, Francesco

Ingolstadii, 1616

Accuratio in condendis libris.

urn:nbn:de:hbz:466:1-41515

etitatem spirat, lectoremque iucundissime tenet; &, in quam fertur ipsa partem, secum volentem rapit. Talis erat, & viua dictio de loco superiore; eo quoq; rapax magis, & efficax, quod eam actio decora, & modesta pronuntiatio animabant. In- de populorum concursus: inde nomen ei Catholicus Prædicator: inde commutationes morum, & vitæ, & sectarum euersio, & restitutio religio- nis: quod vnum est Christianæ facundiæ mini- me fallax documentum. Neq; enim multitudi- nem inani aurium delectione capere, & linguæ volubilitate tenere suspensam recte eloquētiā dixeris, nisi adulterinam, cum quod Euangelici Oratoris est nihil efficiat. Memoria Canisio erat prompta, inexplebilis, apprime fidelis ac tenax. Ingenium morosius, nequaquam cogitationibus primis contentum. In lucubrationibus maioris operæ tantum ponebat curæ, vt mirarentur noti, qui fieret, vt valetudinem nō prorsus pessum da- ret. Quippe magnitudine iudicij videbat quid es- set optimum, & perfectionis vbiique studio, ad id, quod videbat, consequendum repetitis conati- bus nitebatur. Nam si cui primo statim impetu

*Nota vera elo-
quentia concio-
natoris.*

*Accuratio in
condendūs le-
bris.*

absolu-

absolutio, ac summa proueniat, eum ego extra
humanorum sortem ingeniorum posuerim.

*Haud minor in
vita sua insti-
tutione.*

Prudentia.

*Patientia la-
borum.*

*Temporis par-
simonia.*

*Occupationes
plurima.*

*Figura corporis
qna.*

Gemina in cultu virtutis ratio, comparq; iu-
dicium erat, sincerum, exactum, atque adeò scrupu-
losius citra angorem. Nimirum Maiestatis sa-
crosanctæ Numinis notitia ad cultum eius accu-
ratiorem, & Theologica subtilitate ad exigēdum
ab se seuerius officium, nō ad vlla ex parte laxan-
dum (quod quidam peruersissime faciunt) vte-
batur. Prudentia siue in administratione dome-
stica, siue in iuuandis animis, præsertim in exco-
gitandis viistum conseruandæ, tum restituendæ
religionis Catholicæ sane multa. His dotibus stre-
nua nauitas, & solers addebatur industria. Labo-
rum ad miraculum patientia. Temporis quanta
nunquam cuiusquam pecuniarum, avaritia: vel
inter cibum seria dictare, & inter arduas peregrin-
ationes opera, quæ summā quietem poscerent,
commentari, iudicare, literis consignare: multa
simul moliri, Provinciam regere, publicis religi-
onis rebus grauissimis occupari, concionari, scri-
bere: quæ singula quamuis naui hominis capaci-
tatem expleant.

Accedebat illo digna animo, ingenioq; figura
corpo.

